



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Directorivm Inqvisitorvm F. Nicolai Eymerici Ordinis Prædicatorum

Nicolaus <Eymericus>

Venetiis, 1607

Ioannes XXII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13589

A dictionis explicatio valeat in hac parte quomodolibet impediri, & de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Datum Avinion. x. Calend. Februar. Pontificatus nostri Anno secundo,

I O A N N E S XXII.

Inquisitores modesti sunt: caueant ne actus eorum scandalum pariant; neminem accipiant in suam familiarem, nisi eiusdem Ecclesie fidelem & deuotum: facultatem deferendi arma, nulli nisi familia sua concedant: & alij concessam reuocent.

B **I**OANNES Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filiis Inquisitoribus hæreticæ prauitatis, in prouincia Lombardiæ, Salutem & Apostolicam benedictionem. EXIGIT ordinis vestri religio, & commissi vobis officij mansuetudo requirit: vt sic actus vestros virtute modestiæ componatis, quod nemini esse possint ad scandalum, vel aliquod nocæmentum. Accepimus si quidem assertionem fidei, quod vos nonnullis prauis & peruersis hominibus, qui frequenter ad cædes, & alia nefanda facinora laxant nequiter manus suas, arma per ciuitatem & districtum Bononiensem portandi, non sine multorum scandalo, licentiam concessistis. Quare volumus & discretioni vestræ, per Apostolica scripta districtè præcipiendo mandamus, quatenus neminem familiarem, nisi eiusdem Ecclesie fidelem, ac deuotum, & laudabilis conuersationis & vitæ, habere quomodolibet præsumatis: nec aliquibus de cetero, extra familiam vestram, quam vobiscum habetis continue (nisi forsitan illis, qui eundo de terra ad terram, vel etiam redeundo vobiscum, & in casibus, alijs in quibus in vobis pro securitate vestra forsitan expediret) alicui deferendi arma per dictas ciuitatem & districtum, licentiam concedatis. Et nihilominus licentiam; quam olim super hoc alijs concessistis, studeatis, remotis occasione & dilacione quibuslibet, reuocare. Vt per hoc nulla possit oriri in eisdem ciuitate, vel districtu materia scandalum paritura: nec ad nos de cetero super hoc querelæ materia deferatur.

Edita anno Domini 1321.

Ex Archiuijo Inquisitionis Bononiensis.

Clemen. no. l'en tes. 5. ff. de hze.

C Datum Avinion. vj. Non. Maij. Pontificatus nostri anno quinto.

I O A N N E S XXII.

Inquisitores procedant contra inuentes fœdera cum hæreticis, et ceteros dantes eis consilium, opem, & fauorem: item contra quosuis de hæretica labe culpabiles, vel suspectos.

D **I**OANNES Episcopus seruus seruorum Dei, dilecto filio Lamberto de ordine fratrum Prædicatorum, Inquisitori hæreticæ prauitatis, in inferiori parte Lombardiæ, Salutem & Apostolicam benedictionem. CVM nonnulli de prouincia nostra, Romandiola, tam clerici, quàm laici, Deum & Romanam matrem Ecclesiam offendere, seque in præcipitium damnationis, & mortis immergere non verentes, adeo fauere & fauiffe dicantur damnatis hæreticis, confederationes, ligas, & societas in eundo cum ipsis eosque receptando, & sibi præstando multipliciter auxilia, consilia, & fauores, quod de labe hæresi se reddiderunt & redeunt vehementer suspectos: Nos tam ipsorum quàm multorum aliorum periculis, & præmissis imminentibus obuiare salubriter cupientes: discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus contra fauores huiusmodi, & alios quoslibet de crimine prauitatis hæreticæ culpabiles, vel suspectos, sit solerter secundum formam canonum, ac priuilegiorum concessorum Inquisitionis officio, procedere non postponas, quod inde debeat tua diligentia merito commendari. Datum Avinion. xij. Cal. Septemb. Pontificatus nostri anno decimo.

Edita anno Domini 1326.

Ex Archiuijo Inquisitionis Bononiensis.

I O A N N E S XXII.

E *Argumentum in extrauagantem sequentem.*

Cum Dominus Ioannes Papa xxij. anno Domini 1323, per suam extrauagantem. Cum inter nonnullos, eodem nauisset hæresim, quæ dicit Christum & Apostolos non habuisse aliquid in speciali, nec etiã in cõmuni: & illam quæ falso asserit, Christo & eius discipulis, in his quæ ipsos habuisse scriptura testatur, nullum ius ipsis vtendi competiuisse, nec illa vèdendi, aut donandi ius habuisse, Michael de Cesena Minister Generalis Fratrum Minorum ei contraxit: vnde ad refrenandam hanc effrenem audaciam eodem anno 1323, aliam extrauagantem dedit incipientem, Ad conditorem canonum, quas ambas cum idem impius Michael impugnasset, anno Domini 1325, idem dominus Ioannes tertiam emisit extrauagantem incipientem, Quia quorundam in qua velut hæretici & Ecclesie rebelles declarantur, qui supradictis extrauagantibus, & contentis in eis contradicunt, ita scribit & vere noster Emericus in Directorio inquisitorum par. 2. q. 15, verumtamen nec sic respicit, Michael de Cesena: nam is cõ Okam & alijs

& alijs suis complicitibus, qui in hac extrauaganti memorantur, ausus est etiam in consistorio publico Auinione summo Pontifici in faciem resistere, & appellare, & rursus Pisis in Italia, & adhuc in ciuitate Mondensi in superiori Germania appellationes suas solenniter publicare, & Dñm Ioannē xxi, non Pampam, sed hæreticum, & Apostatā nuncupare. Iam impius hic Michael de Cesena in congregatione Papiensi anno Dñi 1328, ob id solenniter fuit depositus, sed tam rebellē certicē erexit, vt his omnibus non obstantibus se pro generali & catholico prædicaret, Papā autem Apostatam hæreticum, & ipso iure Pontificia dignitate priuatū, cuius impietatis litteras, modo ad capitulū Fratrum Minorum, nunc ad Ludouicum iij, Bavarū se pro Imperatore gerentem, & ad alios destinabat, molitus omnia nefanda cōtra Pampam, contra catholicā religionē, & contra manifestā Euangelij veritatem, is in hac pertinacia persistens fautores habuit & suarum hæresum complices Guilielmum OKam, Bonagratiam, Henricum de Chalem, & alios vt dixi in Directorio par. 2. super q. 15. Horum studium præcipuum erat in tn singulis Pontificis Romani extrauagantibus errores (vt impijs videbatur) adnotare, sed benignus Pontifex filialij affectionibus respondit etiā per extrauagantē quondam incipientē, Quia vir reprobos, quæ non est impressio, Insuper cum iussi essent non recedere à Romana Curia, quæ tūc Auinione residebat, illi clam fugam arripuerunt, & ad Petrum de Cornario Antipapā, & Ludouicum Bavarū eorum fautorē confugiunt: vbi cunq; sunt, hæreses suos prædicare impie non verentur; vocati, & citati non accedunt, & ob id in eos publice hæc sententia per hanc decretalem lata est Auinione anno Domini 1331.

Atque hoc est huius extrauagantis argumentū, vt collimus ex Eymérico, & alijs fide dignis scriptoribus, vita autē sancto domino Ioanne xxi, etiam in bene dictum duodecim impie debacchati sunt, vt copiose etiam dixi in Directorio inquisit. par. 2. super q. 15, 16. & 17. veruntamen tandem irritus factus est impiorum conatus, nam & in feliciter euaserunt & misere extincti sunt, & sancta Romana & catholica Ecclesiā, aduersus quam nefaria molebantur, perdurat, & vera & sancta B. Francisci religio, quam impij demoliri conabantur, inconuulsa manet, & obseruantia regularis muris, optime mutata. hæc est vis veritatis, vt semper maneat, mendacium enim impiorum, licet ad tempus persistat, detegitur tamen & corrui, & vt diuinitis scripsit Dauid; Sunt impij velut puluis, quem proicit ventus a facie terra.

Ioannes Episcopus seruus seruorum Dei, Dilecto filio Ministro generali ordinis fratrum Minorum, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Edita anno Domini 1330.
Ex Archiuo equestrati S. Francisci de Assisio.
Hic paulo post dicitur, Chalem.



NUPER in consistorio publico præsentē multitudine copiosa fidelium contra Michaelē de Cesena olim generalem Ministrum ordinis fratrum Minorum, suis exigētib; culpis & excessibus, officio Ministeriatus priuatū, & de hæresis, ac scismatici criminibus condemnatum per nos sententialiter, nec non & contra Guilielmum OKam Anglicū Bonagratiam de Pergomo conuersum, ac Henricum de Thalhen præfati ordinis, quendam processum edidimus tenoris & continentię sublequentis.

Michael de Cesena.

IOANNES Episcopus seruus seruorum Dei, Ad futuram rei memoriam, Dudum sicut ad communem omnium, ad notitiam credimus deduxisse, contra Michaelē de Cesena olim ordinis fratrum Minorum Generalem Ministrum, hæreticorum fauorem & hæreticum, immo hæresiarcam notorio, qui ad nostram vocatus curiam super dictis criminibus, cuique sub excommunicatōnis ac depositionis ab officio & inhabilitatōnis ad quoscunq; honores, dignitates, gradus & status Ecclesiasticos penis & sententijs, quas omnes & singulis ipsarum cum incurrere voluimus ipso facto si contrarium attentaret, ne de ciuitate Auinione, vbi cum eadem residebamus curia, sicut & residemus ad præsens, absq; nostra licentia recederet, duximus inhibendum: Quicquid vnā cum Bonagratia Conuerso prædicti ordinis, qui suis demeritis exigentibus in prædicta curia arrestatus, ad Sancta Dei euangelia iurauerat, se de prædicta curia sine nostra licentia nullatenus recessurum, ac Guilielmo de OKam eiusdem ordinis, contra quem super multis opinionibus hæreticalibus & erroneis, quas scripserat & dogmatizauerat, inquisitio in eadem pendebat curia, sibi que propterea iniunctum fuerat, ne de dicta recederet curia sine nostra licentia speciali, furtiue recessit de ipsa cum duobus suis complicitibus supradictis, ac redire ad eam renuens legitime requisitus, ad præsentiam Petri de Cornario in Antipapam assumpti, & Ludouici de Bauraria sedentis in pestilentia cathedra festinauit suos dirigere gressus.

Bonagratia.

Petrus de Cornario Antipapa Ludouicus Baurarus.

Michael de Cesena Officijs & beneficijs priuatus.

Ne Michael ipse vir tam reprobus gloriaretur vterius suæ prauitatis opera, absq; condignis demeritorijs stipendijs præterire, ac ne plures etiam in sui erroris denium traheret, ad quod sua tota intentio ferebatur, cum præmissa adeo essent notoria tam per facti euidentiā, quam per plures ipsius litteras ad partes diuersas directas, quarum aliquę ad nostrum & fratrum nostrorum manus etiam peruenerunt, quod non poterant tergiuersatione aliqua occultari, de fratrum eorundem consilio, auctoritate Dei omnipotentis & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, exigente iustitia procedentes, Michaelē eundem ab officio dicti Ministeriatus depositum, fauoremq; hæreticorum & manifestum hæreticum, ac hæresiarcam ac scismaticum declarandum, necnon & fauorem hæreticorum & hæreticum, ac hæresiarcam ac scismaticum duximus condemnandum, priuantes eum officijs, dignitatibus, & honoribus quibuscunq; seu priuaram potius declarantes: ipsumque ab omni gradu deponentes, & priuilegio quocunq; nudantes ecclesiastico, ac eum inhabilem ad præmissa reddentes, & quodlibet prædictorum, pœnis omnibus & sententijs spiritualibus & temporalibus

A libus, quibus diuino & ecclesiastico iure hæreticorum fautores, & hæretici, hæresiarchæ ac schismatici existunt onoxia, plectentes eundem nihilominus, & cum velut talem eis foro obnoxium declarantes, vniuersis quoque Archiepiscopis, & Episcopis, alijsque personis ecclesiasticis quoscunque in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis & suspensionis ab officio & beneficio, quas non parentes incurrere volumus ipso facto, nec non priuationis, depositionis, inhabilitationis prælationum, dignitatum, officiorum, & beneficiorum ecclesiasticorum pœnis & sententijs; & insuper omnibus, & singulis ciuitatibus, terris, & locis; ac vniuersitatibus, communitatibus, & personis alijs singularibus quibuscunque, cuiuscunque conditionis aut status existerent, etiam si Imperiali, Regali, vel alia quacunque dignitate fulgeret, sub excommunicationis in personas singulares, & interdicti in ciuitates, terras, loca, eorumque communitates & vniuersitates, quas nisi mandatis & monitionibus nostris cum effectu parerent, incurrere volumus ipso facto, nec non priuationis priuilegiorum, quorumcumque Apostolicorum & Imperialium, ac feudorum & bonorum, quæ ab eadem Roman. vel quibusuis alijs ecclesijs vel Imperio obtineret pœnis & sententijs, mandandum expressè duximus, & etiam inhibendum, ne prædictum Michaelem hæreticorum fautorem, hæreticum & schismaticum receperent, defenderent, sibi adhererent, obedirent, intenderent quomodolibet seu fauerent, aut præstarent per se vel alium seu alios, publice, vel occulte, directe, vel indirecte, auxilium, consilium, vel fauorem: sed eū potius velut hæreticorum fautorem, ac hæreticum, & schismaticum, (& quantum in eo est) sanctæ Dei ecclesiæ fidei; catholicæ corruptorem, abijcerent, abhorrerent, persequerentur, & si possent, caperent, ac fideliter custodirent subdendum ecclesiasticæ disciplinæ, prout hæc in processibus per nos habitis & publicatis hæcenus plenius continentur.

B Sanè quia sicut fama notoriæ publica, & facti euidentiæ in illis partibus manifestat, Michael ac Guillelmus OKam & Bonagratia supradicti, necnon & Henricus de Chalem dicti ordinis, cuius perfectio inter alia potest percipi, quia Ludouici de Bauria se pro Imperatore gerentis, de diuersis damnati hæresibus, Cancellarij officium diuini gerere non expauit, Quod quidem officium quantum professioni illorum qui se nihil habere asserunt in proprio vel communi; seque Christum pauperem nudi, sequi congruat, potest prompte prudens quilibet iudicare: in Alamanæ partibus in diuinæ maiestatis contumeliam, fideique catholicæ læsionem, ecclesiæque catholicæ præiudicium & contemptum, non verentur hæreses publice prædicare, ac nonnullos fratres dicti ordinis illarum partium à deuotione ecclesiæ, Ministriq; generalis eiusdem ordinis obedientia retrahere, ac illos ad dictorum Ludouici & Michaelis hæresiarchæ obedientiam per captiones, incarcerationes personarum, & electiones à suis conuentibus, spoliaciones librorum, aliorumque rerum ad vsum assignatarum à suis superioribus, præscriptionem quoque publicam, minis & terroribus mortis, & alijs modis ausu temerario inducere & compellere non verentur.

C Nos considerantes attente, quòd talium non est dissimulanda malitia, sed eorum potius elidenda superbia, ac eorum pertinax contumacia per semitas iustitiæ prosternenda, omnes & singulos, qui contra nostros processus prædictos, eidem Michaeli fauerunt, aut vt Ministro obediuerunt, nisi ad obedientiam Ecclesiæ iam redierint, de fratrum eorundem consilio declaramus personas, videlicet, singulares excommunicationis, ac conuentus & vniuersitates interdicti sententias incurrisse: Michaeli interdicentes prædicto, ne pro Ministro se gerat vterius, ac Guillelmo & Henrico, ac Bonagratia prædictis, ne ei tamquam Ministro, nec alijs nisi in casibus in quibus licet communicare cum hæreticis parent, communicent vel intendant, sub pœna excommunicationis, quam incurrant ipso facto, si contumaces mandatis nostris fuerint: præcipientes tam Michaeli quam prædictis alijs, vt à consortio se dicti Bauri retrahant, & ad vnitatē redire Ecclesiæ sublato cuiusuis moræ dispendio non obmittant.

D Et quia prædicti Guillelmus, Henricus, & Bonagratia, velut defensores diuersarum hæresum, sed illarum præcipue, qua asserunt quòd Christus & discipuli nihil habuerunt in proprio vel communi, nisi tantum simplicem vsum facti: & illius quæ asserit, quòd ad Imperatorem pertinet Papam deponere, & alium subrogare, vehementer de hæresi sunt suspecti: ipsos & eorum quemlibet citamus per edictum peremptorium publicum, præsentē ac fidelium multitudine copiosa, vt infra festum Ascensionis Domini exclusiue proxime subsequens, compareant personaliter coram nobis, facturi super præmissis vel notorijs, quod rationis fuerit: & sententiam, si ferri possit commode, audituri, Non intendentes propter prædictæ citationis edictum nos astringere, quin contra dictos Guillelmum

E OKam, & Bonagratiam, quos aliàs per edictum peremptorium publicum citauimus, vt certo termino diu elapso, comparerent coram nobis personaliter sententiam audituri, ac propter eorum contumaciam fuerint excommunicationis vinculo innodati, interim valeamus procedere prout suadebit iustitia, & viderimus expedire: eisdem expressius intimantes, quòd siue venerint siue non venerint, contra ipsos in dicto termino, vel quotiens nobis visum fuerit, abque citatione alia ad præmissa procedemus prout rationis fuerit, & viderimus expedire.

Cæterum volumus auctoritate Apostolica nihilominus decernentes, quòd processus noster huiusmodi, præfatos Michaelē, Guillelmum, Bonagratiam, & Henricum, ac alios quos contingere dignoscitur, adeo apprehendat & arctet, ac si eis, & eorum cuiuslibet personaliter publicatus & intimatus solemniter extitisset; quacumque constitutione contraria, per prædecessores nostros Roman. Pontifices in contrarium edita non obstante,

Vniuersis sub grauius pœnis interdictur, ne Michaeli de Celen fauant.

Ludouici Bauri Cancellarij officium inique gerit Henricus Chalem.

Michael de Celen, OKam, Bonagratia, & Henricus Chalem dogmatizant.

Pœna illorum qui Michaeli de Celen fauerunt.

OKam, Henricus, & Bonagratia vehementer de hæresi suspecti.

Citantur peremptorie supradicti.

Processus hic arctat absentes.

Chartæ processus
sunt continen-
tes in publicis
locis affiguntur.

Et ut idem processus & contenta in eo, ad ipsorum Michaelis, Guillelmi, Bonagratiæ ac Henrici & aliorum, quos contingunt, notitiam deducantur, chartas seu mēbranas processum continentes eundem, appendi seu affigi ostijs seu superliminariis Maioris Auiionep. Ecclesiæ facimus, quæ processum ipsum suo quasi sonoro præconio, & patulo indicio publicabunt, ut ipsi nullam possint excusationem prætere, vel ignorantiam allegare, quæ ad eos non petuerint, vel quod ignorarint in eundem, cum non sit verisimile quo ad ipsos remanere incognitum vel occultum quod tam patenter omnibus publicatur. Dat. Auiion. xj. Non. Ianuar. Pontificatus nostri anno quintodecimo.

Et licet processus ipse sufficienter publicatus extiterit, ut præfertur, tamen ex abundanti volentes eum in locis & domibus tui ordinis nihilominus publicari, discretioni tuæ committimus & mandamus, quatenus per te vel alium seu alios eiusdem ordinis, processum eundem in singulis locis & domibus præfatis, diligentius publicare procures, faciens de publicatione ipsa instrumenta publica confici, quæ nobis studeas fideliter destinare. Datum Auiion. iij. Idus Ianuarij, Pontificatus nostri anno quintodecimo.

Bertrandus Cardinalis & Apostolicæ sedis legatus, auctoritate Apostolica Inquisitorem hæreticæ prauitatis instituit: cui eadem auctoritate concedit: ut procedat aduersus hæreticam prauitatem.

Insigne est hoc relictum, quo perspicitur forma, seu modus instituendorum Inquisitorum.

Bertrandus miseratione diuina tituli sancti Marci presbyter Cardinalis, Apostolicæ sedis legatus, ac Terrarum, & Prouinciarum, Roman. Ecclesiæ in partibus Italie consistentiæ Reformatior, & Vicarius generalis, Dilecto in Christo Fratri Iohanni Iacobi de Spello ordinis fratrum Minorum, Salutem in Domino.

Edita anno Do-
mini 1348.



INTER sollicitudines varias, quibus ex officio iniunctæ nobis Legationis astringimur, sollicite cogitare nos conuenit, ut officium hæreticæ prauitatis exerceatur sollicite, & personis talibus committatur, quod eorum sacro ministerio, errantes ad lumen redeant veritatis. Nuper siquidem Sanctissimus Pater & Dominus noster Dominus Clemens diuina prouidentia Papæ VI. nos ad regnum Siciliae, & totam terram ipsius Regni citra Fatum & Thuscæ, ac nonnullas alias partes & Prouincias in literis ipsius domini Papæ nobis super nostra Legatione concessis specialiter nominatas, commisso nobis plene legationis officio in eisdem prouidentibus & arduis Ecclesiæ Romanæ negotijs destinans, nobis concessit suas Apostolicas litteras in hec verba.

CLEMENS Episcopus seruus seruorum Dei, Dilecto filio Bertrando tituli S. Marci presbytero Cardinali, Apostolicæ sedis Legato, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Plenam de tuæ probitatis & circumspectionis prudentia, & donis virtutum tibi concessis à Domino fiduciam obtinentes, te ad Regnum Siciliae, ac Terras & Prouincias Ecclesiæ Romanæ, immediate subiectas, cæterasque partes alias Italiae plenæ Legationis officio & alijs negotijs tibi per nos commissis, varijs & diuersis de fratrum nostrorum consilio prouidimus destinandum. Cupientes itaque negotium fidei sic sollicite ubiq; dirigi, quod nihil circa illud inhonestum committatur quomodolibet vel sinistra, ut per te vel alium, seu alios, de Inquisitorum hæreticæ prauitatis infra terminos legationis tuæ constitutorum excessibus inquitere, ac de illis quibusuis conuerentibus iustitiam facere, ac illos de quibus tibi videbitur à suis officijs remouete, & alios substituere valeas. Contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo plenam tibi concedimus tenore presentium Potestatem. Dat. Auiion. iij. Id. Augusti, Pontificatus nostri anno quinto.

Quarum litterarum Apostolicarum auctoritate, te quem largitor gratiarum omnium litterarum scientia, & alijs multis virtutibus sicut fide dignorum testimonio accepimus, laudabiliter insigniuit, & in cuius affectu sicut firmiter credimus specialiter geritur, quod fides catholica, extirpatis erroribus suscipiat incrementum: Inquisitorem hæreticæ prauitatis Prouinciæ Sancti Francisci Vallispoli vsque ad Apostolicæ sedis beneplacitum, atque nostrum constituimus, tenore presentium ac etiam ordinamus cum omnibus iuribus, honoribus, & privilegijs à iure vel à sede Apostolica seu quibuscumque alijs concessis inquisitoribus illarum partium hæreticæ prauitatis, recepto prius à te corporaliter iuramento, quod officium ipsum ad honorem Dei sanctæque Roman. Ecclesiæ, & exaltationem catholicæ fidei diligenter & fideliter exercebis: Dantes tibi eadem auctoritate tenore presentium, plenariam potestatem infra dictam Prouinciã inquirendi contra quoscumque hæreticos: vel de hæresi quomodolibet suspectos, fautores, receptatores, & defensores eorum, ipsoque capiendi, & detinendi condemnandi, absoluedi, liberandi, ac omnia alia & singula faciendi, quæ ad huiusmodi inquisitionis officium de iure pertinere noscuntur: Mandantes eadem auctoritate presentium tenore vniuersis, & singulis eiusdem Prouinciæ Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Comitibus, Baronibus, Militibus, Capitaneis Generalibus, & Officialibus vniuersis, & eorum Vicarijs, ceterisque

Qualiter hæc
clausula accipi
debeat, late ex-
plicui in Direc-
torio Inquisi-
tor. 3. super q. 7.

A terisque ecclesiasticis, & secularibus personis sub excommunicationis, suspensionis, & interdicti pœnis: ut tibi in ijs quæ ad huius Inquisitionis officium pertinere noscuntur, benignè pareant, & intendant, ac cum per te requisiti extiterint, dent per se, & alios, prout opportunum fuerit consilium, auxilium, & fauorem. Nos enim sententias siue pœnas, quas rite tuleris, ratas, & gratas habebimus, ipsaq; faciemus auctore Domino inuolubiliter obseruari, Per præsentem autem commissionem nostram nolumus nec intendimus Inquisitori aliàs per nos in dicta Prouincia deputato, in aliquo derogare, quominus idem Inquisitor officium ipsum possit & valeat sicut prius libere exercere. Dat. Arian. ix. Kal. Septemb. Pontificatus eiusdem Domini Clementis Papæ vj. Anno sexto.

Io. de Aquam. f.

GREGORIVS PAPA XI.

Scribit Dominus Papa Archiepiscopo Tarraconensi super libris Raymundi Lulli.



REGORIVS Episcopus seruis seruorum Dei Venerabili Fratri . . Archiepiscopo Tarraconen. Salutem & Apostolicam benedictionem.

Data anno Domini 1373.

NUPER dilecto filio Nicolao Eymerici ordinis fratrum Prædicatorum professori, magistro in Theologia in partibus Aragoniæ Inquisitore hæreticæ prauitatis nobis referente, percepimus, quòd in partibus illis nonnulli laici, quamplures libros habent in vulgari per Raymundum Lullum ciuem Maioricens. compositos,

Vide comen. in Directorio Inquis. par. 2. super q. 26. circa finem.

in quibus ut idem Inquisitor videtur asserere, errores quamplurimi in fide continentur. Nos igitur in præmissis, prout ex debito tenemur pastoralis officij, prouidere volentes, Fraternalitati tuæ, de qua in his & alijs specialem in domino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta committimus, & mandamus, quatenus huiusmodi libros per quoscunq; habeantur seu detineantur, tibi facias exhiberi, & si per tuam ac dicti inquisitoris, & aliorum magistrorum in Theologica facultate, & iuris peritorum, quos propter ea coram te euoces, repereris quod præfati libri errores in fide contineant, eosdem libros comburas, & comburi facias, atque mandes, inuocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachij secularis, contradictores per censuram ecclesiasticam, & alia iuris remedia, de quibus videbitur, appellatione postposita, compescendo: non obstantibus constitutionibus Apostolicis de vna & de duabus dietis, & alijs contrarijs quibuscunq;: Seu si eidem Raymundo vel quibusuis alijs communiter uel diuisim à sede Apostolica sit indultum, quòd interdicti, suspendi, vel excommunicati, aut extra vel ultra certa loca ad iudicium euocari non possint, per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum apud Pontem Sorgiæ Auinionen. Diœces. Non. Iunij anno secundo.

GREGORIVS PAPA XI.

Scribit dominus Papa officialibus Episcopi Barcinonen. super quodam libro Raymundi Lulli.



REGORIVS Episcopus seruis seruorum Dei, dilectis filijs Francisco Borele Priori prioratus Ecclesiæ sanctæ Eulaliæ de Campo, & Petro de Sancto Amancio hospitalario Dartibus officialibus Venerabilis fratris nostri Barcinonen. Episcopi, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Data anno Domini 1374.

AD audientiam nostram fide digna relatione perducto, quòd dilectus filius Franciscus Vitalis præfati Episcopi notarius, quendam librum Raymundi Lulli in pergamenis, & Vulgari cathalanico scriptum, assignatum eidem Francisco in custodiam per vos & dilectum filium Nicolaum Eymerici ordinis Prædicatorum professorem, Inquisitorem hæreticæ prauitatis, in quo errores scripti plurimi perhibentur, apud se habet: Discretionem vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus statim visis præsentibus, absque alicuius moræ dispendio, præfatum librum ad manus vestras receptum, ad nos per fidelem, & idoneum portitorem mittere procuretis: Cauti ne vllam in his committatis negligentiam vel defectum. Datum apud Villanouam Auinionen. Diœces. iij. Calen. Octobris, anno quarto.

Vide comen. in Directorio Inquis. par. 2. super q. 26. circa finem.

GREGORIVS PAPA XI.

Articuli quidam Raymundi Lulli reprobantur, & ceteri eius libri interdicuntur, donec aliud sit per sedem Apostolicam ordinatum.



REGORIVS Episcopus seruis seruorum Dei, Venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Tarracon. eiusque suffraganeis, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Data anno Domini 1376.

CONSERVATIONI puritatis catholicæ fidei, quæ multi nequam filij scelerati suis falsis assertionibus maculare nitentes, inter triticum purum agri Domini pestiferum semen zizanix seminant, cum ad nostrum præcipue spectet officium, ut euellamus

Vide comen. in Directorio Inquis. par. 2. super q. 26. circa finem.

E 2 praua,